

EX AUTORITATE
Incluti Senatûs Philosophici

In Illustri Lipsiensium Academiâ

DISPUTATIONEM ANTHROPOLOGICAM

De

UNIONE ET COM-
MUNIONE MENTIS ET
CORPORIS HUMANI,

Præses

M. CHRISTIANUS Hoffkuntz/
Sagano-Silesius,

&

Respondens

JOHANN-CHRISTIAN Feurereisen/
Grimâ-Misn.

Publicæ eruditorum disquisitioni
subjiciunt,

Anno M. DC. LXXV. die 13. Martii,

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Typis Viduæ JOHANNIS WITTIGAU.

THed 142

EX ALTO...
Instructio...
Dissertationem...
LUNIONNE ET COM.
MONTONNE MENTIS ET
CORPUS...
PARIS
M. CHRISTIANUS...
L. CHRISTIANUS...
Publice...
M. DE...
M. A. O. ...
1721
Typis...





I. N. J.

DISPUTATIO ANTHROPOLOGICA

De

UNIONE ET COMMUNIONE
ANIMÆ ET CORPORIS
HUMANI.

P R Æ F A T I O.

§. I.

Hominem inter animalia miraculum divinum, rectè asseruit Divinus Plato: Mentem ejus *Marsilius Ficinus argum. Dial. 1. de leg.* ita explicat: *Quia cum Divinus sit, mirum est, eum à mortalibus infici; Et cum sit mortalis, mirum quoque affici ad divina.* Hominem nempe admirabilem judicat, propter unionem & communionem mentis & corporis admirabilem. Mens humana quædam præ se fert Divinitatis speciem; multarum rerum scientiam colligit, imò futurorum. Res apprehensivè perceptas dijudicat veras vel falsas, bonas vel malas. Ad bonas liberâ fertur propensione: res malas fugâ contrariâ deserit. Utraque voluntatis actio in confœderatum transit corpus, hujusque motibus utitur, tanquam salutis suæ ministris, quos pro concesso sibi imperio flectit atque regit. Ex eo, quod habemus voluntatem, cogitationes nostras aliis manifestandi, lingua nostra eloquitur. Habitâ verò ratione substantiæ suæ, ab omni materiâ & reali compositione prorsus liberam, indeque immortalem & indissolubilem se experitur. Ipsa autem à DEO sapientissimo nexu naturali corpori associata hoc in communi-

A 2

onem

onem quendam trahit divinitatis. Hinc instinctum illum, quo anima desiderat copiam ac fructum cogniti Summi Boni, homo quandoque gestu significat faciei ad cœlum erectæ, cœlum exposcentis in opem, de quo *Dannh. in præf. ad Hodof.*

II. Interim hanc ipsam animam infici à corpore composito, materiali & corruptibili, quanquam insolitum quid & absque simili, verissimum tamen est. Ex perceptionibus enim Animæ notamus plures corpus pro causâ habere. Omitto illas, quas referimus, tum ad objecta, quæ sunt extra nos, quæ supponimus esse earum causas, sicuti putamus, nos immediatè audire ipsam campanam, aut videre arborem, non verò solùm sentire motus seu species sensibiles, ut in scholis loquuntur, quæ ab ipsis proveniunt: Tum ad corpus nostrum, quales sunt, quas habemus à fame, siti, dolore, calore &c. quos sentimus quasi in membris nostris & non ut in objectis, quæ sunt extra nos; Illas saltem indigito perceptiones, quarum effectus sentiuntur quasi in ipsâ animâ, illamque ad varias actiones & commotiones spirituum animalium sollicitant; ipsi enim vicissim multum conferunt passionibus animæ strictè sic dictis, ejusdemque actionibus, naturaliter puta sibi relictis, unde vulgatum illud Galeni: *Mores animi sequuntur temperamentum corporis.*

III. Nonnunquam etiam res extra nos perceptæ per sensus appetenti vel fugienti voluntati necessitatem quendam imponere videntur, ideoque in nobis excitant aversiones & inclinationes naturales, quas Scholastici inertibus sympathiæ & antipathiæ vocabulis designant. Alia ratione objecta sensualia voluntatem inter contrarias determinationes suspensam tenent, unde oritur pugna illa, quam vocant, inter partem Animæ superiorem & inferiorem. Hostis validior incitat crura imbecillioris ad fugam capeffendam, unde memas; Ast patriæ necessitas vel alia honesta causa eundem ad sustinendum certamen impellunt, unde fortis aut generosi nomen meretur. Hasce igitur in homine mutationes provenientes ab Unione Mentis & corporis dum observamus, tanquam reliquis creaturis insolitas, nobis verò primò considerantibus novas, & maximam partem incognitas propter ignorationem causarum, conditionum aut circumstantiarum, maximè admirabiles pronunciamus cum Platone & Marsilio Ficino.

IV. Ve

IV. Verum cum non ideo res cognitioni nostrae fistantur, ut eas admiremur, more mirionum, quorum attentio in sola prima objectorum imagine sistitur, sed ut desinamus admirari, qui finis est Philosophorum, secundum Pythagoram, hinc removenda est admiratio, quae oriebatur ex unione seu communiione Animae & Corporis. Admiratio autem tollitur 1.) assiduitate eandem rem sentiendi & cognoscendi ejusque usu repetito. Quo saepius enim occurrunt, quae admiramur, eo magis assvescimus desinere ea admirari. Sed ita perditur utilissimus hujus passionis usus. Hinc maxime obvia illa unio & communiio apud plebejos imminuit ejus admirationem, quoniam causarum & circumstantiarum adhuc ignaros.

V. 2.) Similium collatione seu cognitione: Quoniam objectum definit esse novum & insolitum, ubi multa ei similia observare incipimus. Principio autem manifestum est, nullam esse magis amicam aut faciliorem conjunctionem, quam cum res omnino similes coalescunt. Verum praesens unio cum sit inter res valde dissimiles, ad normam rerum similium exigenda non est. Inter res autem primo diversas & unitas videntur habenda substantia & accidens: Sed minus est, quod in substantiae & accidentis conjunctione mireris. Accidens enim naturalis, & necessaria quaedam substantiae finitae appendix est, quae perficiuntur & consummantur. Absque figurae situ & motu res naturales nihil agunt, nec mentes creatae, nisi habitu praeditae, facile & constanter operantur. Vicissim accidens & substantia tanquam necessario subjecto sustentatur, nec absque ea existentiam habet. Mens vero & corpus sunt res per se existentes, neque ex natura absolutam unum altero indiget. Inter corpora naturalia ferrum & ignis junguntur, & diverso trunco diversae arboris ramus inseritur. At tangunt haec sese invicem per superficies suas. Neque ex practicis disciplinis, ubi foedera saltem inter res plures complete subsistentes & intelligentiam praeditas panguntur, exemplum simile peti potest. Simillima videbitur forsan unio materiae & formae. Sed haec si est materialis, partibus extremis apprehendit materiam, quod non valet de anima immateriali. Alias vero conjunctiones naturalis cognitio non suppeditat.

VI. Restat adhuc tertius modus tollendi admirationem, nempe causarum cognitione vel circumstantiarum, quatenus per attentionem

tam reflexionem naturam rei certâ scientiâ complectimur. Et hic est legitimus admirationis usus, quòd sic disponamur ad scientiarum peruestigationem & acquisitionem. Hinc Plato in Atlantico: *Si ergo talia audieritis nomina, quæ apud nos sunt, ne admiremini: nam hujus rei causam intelligitis.*

VII. Ultimo ergò hoc modo circa admirandam unionem animæ & corporis nostri occupabimur. Ipsa autem unio, secundum Calovium in Metaph. Div. c. 4. de Aff. Entis, sumitur vel activè, pro unientis actu, vel passivè, pro passione unibili, & rerum uniendarum aptitudine, vel relativè, pro unitorum relatione, mutuo respectu & statu. Illic est unio ex parte efficientis, isthic ex parte unibilium. Utramque hanc reservo alii occasione, & benevolum Lectorem remitto ad Autores, qui Generationis humanæ rationem & Animæ humanæ originem explicarunt.

IX. Ab unitione verò resultat ipsa unio, tanquam effectus formalis à causa formali, quam præsentî disquisitioni subjicio. Circa unionem autem notanda venit ejus materia & forma. Materia sunt res vel naturæ differentes: Hinc primò natura extremorum, seu animæ & corporis breviter evolvenda venit. Forma unionis dicitur concursus communicativus, seu communitio, quæ maximam parit difficultatem, cujus ideo potissima ratio habenda erit. Circa singula hæc naturali methodo à notis ad ignota procedam. Admirabilem autem unionis hujus Autorem ardentè & piè precamur, ut hoc quælibet opus gratosè adjuvet, idque à bonitate suâ profectum ad suæ Gloriæ, Reipublicæ literariæ atque salutis nostræ incrementum dirigat.

CAPUT I.

Natura Corporis & Animæ.

I.

SI nihili nullæ sunt affectiones aut attributa positiva, intrinsecè denominantia, firmiter ex eo, quod aliquid in se recipiat attributa, tanquam primum illorum subjectum, colligere possumus, ejus subsistentiam. Sed quoniam res eadem pluribus ac diversis modis considerari potest, qui considerandi modi sunt illud ipsum, quod attributorum

torum nomine venit, hinc manifestum est, plura unius rei esse attributa. Ex omnibus autē, quæ rei alicui tribuuntur, unum solemus considerare tanquam primum, præcipuum & intimum rei, quod reliqua quodammodo complectitur, aut certè cæterorum omnium quasi radix & fundamentum est, sine quo res concipi nequit; Et hoc ipsum Aristoteles vocat essentiam rei, quæ in respectu ad operationes ab aliis dicitur Natura.

II. Attendentes ergo ad res notione corporis & animæ significatas, illas deprehendimus non esse ab alio sustentatas aut subjectivè receptas, sed plurimorum attributorum esse subjecta, unde illas ad classes substantiarum referimus. Sed per hoc nondum specificè constituitur & distinguitur anima & corpus. In illo igitur attributo consistet essentia specifica corporis, sine quo ut res talis concipi nequit; ad quod duo requiruntur: 1.) ut omni, soli & semper insit, & 2.) omnium reliquorum primum sit fundamentum. Omnia autem corporis attributa percurrentes, nullum est, cui duæ illæ conditiones conveniant, præter extensionem, ut consideranti patet.

III. Nam 1.) Extensio convenit omni corpori, soli & semper. Sine extensione corpus concipi nequit ullum, neque cœleste, neque terrestre: Et quamvis sit corpusculum subtilissimum, habet tamen aliquam extensionem, i. e. partes extra partes, determinatæ magnitudinis & figuræ, quarum una non potest esse alia, aut simul in eodem loco. Præter corpus verò nulla Substantia est extensa. Nam res spiritualis si extensa foret, esset divisibilis in partes, neque posset corpora penetrare. Denique extensio semper competit corpori, quia 2.) omnium reliquorum attributorum primum & fundamentum. Utcunque enim reliqua attributa omnia, (sc. quæ non tanquam necessaria consequentia ex hoc fluunt) tollantur & varientur, e. g. durties, levitas, gravitas, sensibilitas, densitas, corpus tamen semper manet extensum, quamdiu corpus manet. Primum autem ideo dico, ut distingvatur à proprio; Tale autem est, quia nullum potest concipi in corpore extensione prius. Ipsa divisibilitas, impenetrabilitas, figura, situs &c. præsupponunt extensionem. Quantitatem, magnitudinem & extensionem, imò tangibilitatem, qui pro re eadem sumere velit, cum eo non contendam. Attamen si rem subtilius rimari lubeat, non videtur omninò negari posse, extensum esse
quid

quid in corpore magis absolutum, quantum verò & magnum magis respectiva, quandoquidem uti quantum ad tantum, ita magnum ad parvum refertur. Tangibilitas, in qua Henricus Morus naturam corporis constituit, cum juxta hunc nihil aliud sit, quam habitudo partium sese invicem tangentium, præsupponit in signo rationis partes extra partes, i. e. conceptum extensionis. Vid. Gerh. de Neuville *physiol. l. 2. c. 3.*

IV. Et sanè aliter corpus definiri non poterat, cum omnes ejus proprietates & differentie præsupponant extensionem. Hæc sublata, nihil concipi in eo potest, quod corpus redoleat: Motus abest, figura, situs, locus, magnitudo, raritas, densitas & ea omnia, quæ à Deo materiali substantiæ fuerunt attributa.

V. Simili ratione inquiramus in naturam animæ. In eâ occurrere solent attributa negativa, insensibilitas, incorporeitas seu immaterialitas; sed negativa attributa, pluribus speciebus & rebus corporeis communia, propriam mentis essentiam haudquaquam explicant. Sunt, qui animam definiunt actum substantialem corporis organici, potentiâ vitam habentis. Sed hæc definitio nimis generalis, inadæquata & respectiva est. Nam 1.) competit etiam brutorum formis, secundum Peripateticorum sententiam. 2.) Non exprimit propriam Mentis indolem, sed respectivas saltem in corpore operationes.

VI. Sunt verò alia attributa mentis propria & absoluta, nempe perceptio, affirmatio, negatio, voluntas, cogitatio, dubitatio, intellectus, judicium &c. Sed quoniam cuncta hæc in definitione poni non possunt, ideò sumendum est ex omnibus præcipuum & menti intimum, quod in reliquis omnibus includitur, & in quo reliqua omnia radicanter. Sicut alias Physici perfectam hominis definitionem daturi, non à ridendi, numerandi, loquendi &c. sed à ratiocinandi actu, quem putant esse præcipuum & principium reliquorum, definiunt hominem, animal rationale. Tale autem primum mentis attributum est cogitatio. Mens enim si intelligit, cogitat, si vult & non vult, cogitat, si affirmat vel negat, cogitat, rectè vel prævè sentiens, cogitat; atque ita in quâlibet functione mens cogitat. At non è converso si cogitat, etiam affirmat vel dubitat, vel vult &c.

VII. Rectè igitur definitur Anima, absolute considerata, quod sit

fit substantia finita cogitans. Hoc mentis humanæ præcipuum attributum jam ante notavit Illustris Heros, *Bacon de Verulamio l. 2. de Augm. Sc. c. 13.* Et ante hunc idem sensit Mars. Ficinus, cujus hæc verba in *Comm. ad Conv. Plat. orat. 2. c. 8.* leguntur: *Nec in seipso sic affectus animus operatur, cum præcipua operatio animæ ipsa cogitatio sit, &c.* Conf. Plato in *Theæteto & Sophista.*

VIII. Nomine autem cogitationis intelligitur sensus ille interior, animadversio & conscientia, per quam anima nostra certa est omnium eorum, quæ agit aut patitur, & in genere omnium eorum, quæ immediatè accidunt in ipso, eo ipso tempore, quando agit aut patitur. Non autem confundendus est sensus ille interior cum actibus mentis reflexis, quibus ea quandoque fertur in ipsas suas cogitationes, qui tamen in omnibus mentis nostræ actionibus non inveniunt locum, sed earum tantum speciem quandam constituunt. Dixi, eodem ipso tempore, ne quis putet necesse esse, quando Spiritus non amplius hoc agit, h. e. quando mutavit suas cogitationes, ut memoriam ejus retineat. Ut adeò dicere, mentem humanam esse substantiam cogitantem, nihil aliud sit, quam dicere, in ipsâ esse conscientiam omnium cogitationum, voluntatum, appetituum & perceptionum, quæ in illâ reperiuntur, sive jam ipsa earum sit principium, sive ab aliis patiatur.

LX. Ne tamen captioni locus supersit, notandum est, extensionem & cogitationem spectari posse duobus modis: (1.) ut constituentes naturas substantiæ intelligentis & corporeæ, tuncq; aliter non concipi debent, quam ipsa substantia cogitans & extensa. (2.) cogitatio & extensio etiam sumi possunt pro modis substantiæ, quatenus sc. una & eadem mens diversas cogitationes habere potest, atque unum & idem corpus pluribus diversis modis potest extendi, nunc scilicet magis secundum longitudinem minusqve secundum latitudinem, & hæc ratione variantur quidem in corpore modi extensionis accidentales, ipsa autem extensio indefinita manet invariabilis.

X. Ex suppositis hisce tres deduco veritates gravissimas: Quarum prima est; Quod sicuti corpus humanum semper extenditur, quamdiu actu existit, & in particulari etiam semper aliquâ figura est limitatum; Ita etiam Mens humana, quamdiu existit, semper cogitet, & particulari aliquâ formâ cogitationis erit determinata. Ratio

B

ubique

ubiqve eadem: Id enim quod naturam alicujus rei constituit, semper ipsi inest, quamdiu res illa existit; Et cum omnis existentia entis creati determinetur aliquâ differentiâ seu conditione individuificante, id etiam de speciebus Entis existentis subsumere licet. Ita si substantia cogitans non semper produceret aliquam formam cogitationis, id propterea fieret, vel quia non vellet, vel quia non posset: Si posterius, non habebit potentiam cogitandi, neque ideò existet, & per consequens non erit Mens. Ratio consequentiæ hæc est: Quia nullum Ens destituitur potentiis essentialibus operandi, seu naturâ quâdam. Si autem prius, jam cogitat, quia velle & non velle sunt modi cogitandi. Sive ergò jam mutet voluntatem suam, sive non mutet, semper ejus erit conscia.

XI. Fortissima autem objectio, quæ contra propositionem nostram deduci potest, hinc petitur, quòd si Mens perpetuò cogitaret, à primo usque momento, quo unita fuit corpori, conscii esse deberemus aliquarum cogitationum, quas in utero materno habuimus, vel etiam nos conscios esse debere somniorum nostrorum. Verum ne omnium quidem cogitationum nobis jam conscii sumus, quas adulti habuimus, cur ergo conscientiam illarum, quas in utero materno formavimus, requiris? Confundis nempe conscientiam seu perceptionem directam cum memoriâ & actu mentis reflexo. Plus fanè requiritur, ut rei alicujus recordemur, quam ut illius simus conscii. Ad illud quippe requiritur, ut cogitationum nostrarum aliqua vestigia imprimantur, ad quæ nos postea reflectendo sive insitâ virtutè, sive motu spirituum animalium adacti, recordemur. Ut autem cogitemus, sufficit, si nostræ perceptionis seu cogitationis ipso cogitationis momento nobis conscii sumus. Quod non dormientibus nobis solum accidit, sed ipsis quoque fœtibus in utero adhuc viventibus. Non autem idcirco mihi persvadeo, mentem infantis de rebus metaphysicis v. gr. an Ens sit univocum vel analogum? aut *τὸ* aliquid sit entis synonymum? vel de rebus physicis, an detur materia prima? an privatio sit principium corporis naturalis? an quatuor sint elementa, &c. meditari, sed contra, si quid liceat de re non perspectâ conjicere, cum experiamur, mentes nostras corporibus ita esse adjunctas, ut ferè semper ab iisdem patiantur: & quamvis in adulto & sano corpore vicens animus, nonnullâ fruatur libertate cogi-

cogitandi de aliis, quam quæ ipsi à sensibus offeruntur, eandem tamen non esse libertatem in ægris, dormientibus & pueris; nihil ideò magis rationi consentaneum est, quam ut putemus, mentem corpori infantis recenter unitam in solis ideis doloris, titillationis, caloris, frigoris, famis & sitis, similibusque, quæ ex istâ unione oriuntur, confusè percipiendis sive sentiendis occupari.

XII. Secunda est: Quicquid in nobis est, aut fit, cuius nos conscii non sumus, aut à nostris cogitationibus non dependet, ad animam non pertinere, tanquam causam proximè efficientem. Etenim modus operandi proprius sequitur modum essendi, & omnis actio suscipitur juxta receptivitatem subjecti patientis. Ea enim est natura animæ nostræ, ut conscia sit omnium actionum & passionum suarum. Simili ratione de modo agendi & patiendi corporum conclusionem quandam elicere potes. Sapienti fat.

XIII. Tertia est: Mens humana & corpus humanum sunt substantiæ realiter distinctæ. Sicuti essentiarum quidditates, ita etiam diversitates nobis per proprietates & attributa essentialia innotescunt. Constitutivum simul est distinctivum. Cogitatio itaque, & extensio sunt attributa talia, quorum unum completè & distinctè sine altero concipi potest, neque unum requiritur ad completum alterius conceptum, prout quidem figura aut magnitudo adæquatè & distinctè non possunt concipi, nisi in materiâ extensâ. Sed completè intelligimus corpus, seu substantiam materiale esse extensam, partibilem, figuratam, mobilem &c. cum exclusione omnis cogitationis, & eorum, quæ menti propriè competunt; Et viceversa intelligimus Mentem esse substantiam completam, quæ percipit, vult dubitat, etsi omnia removeantur, quæ ad corporis naturam pertinent. Et sic cogitatio & extensio, tanquam duo attributa primariò diversa, sunt incompatibiles in eodem subjecto. Applausum ergò non meretur Thomas Hobbes ejusque asseclæ, qui animam corpoream fingunt, neque Henricus Regius, Medicus Ultrajectinus, animam saltem ut modum corporis vi naturalis cognitionis apprehendi posse judicans. Ideoque alter ille justam censuram passus est ab Henrico Moro in Enchiridio Metaphysico; & Setho Wardo in disquis. Philos. Hobbianæ. Hic verò à Renato des Cartes in notis ad programma quoddam editum in Belgio.

CAPUT II.
**Natura Unionis & Communionis
Animæ & Corporis.**

I.

OMnis unio prærequirit extrema realiter diversa. Anima igitur & corpus cum prorsus heterogonea sint entia, neque ulla, præter existentiam, inter eas naturæ sit affinitas sed omnimoda proprietatum, attributorum & modorum diversitas, quâ ratione tam arctè unita sint, ut unum hominem componerent, jam cum curâ singulari inquirendum est, tanquam in maximum sapientiæ & potentiæ divinæ argumentum, cui in natura rerum simile apparet nihil.

II. Cum autem nullus modus tollat naturam rei, anima & corpus, licet unita, servant tamen propriam naturam atque distinctionem. Licet non maneant separata, manent tamen disparata. Spiritus in corpus, & corpus in spiritum nunquam convertitur, neque unum agit, quod alterius est proprium. Non igitur nimie unitatis aut identificationis conceptus de homine formandus est, ut partium in eo conjunctarum insignem & maximam discrepantiam negligamus, sed duplex natura, non simplex unius generis substantialis species animo concipienda est, quæquam gaudeat unico completo & incommunicabili subsistendi modo. Hoc tamen nihil obstante, possunt plures actu essentiæ in uno eodemque supposito dari, verba sunt Magnif. DN. D. Calovii Met. Div. part. spec. de Supposito. Vulgò tamen dum loquimur de uno homine, id vix aliâ mente accipimus, ac si de unâ arbore vel unâ bestiâ sermo fieret: Cum tamen multò aliter sese res habeat. Materialis & immaterialis naturæ diversitas ejusmodi unitatem in homine neutiquam admittit.

III. Ipsa autem unio non consistit in aliquo substantiali vinculo, realiter distincto à naturâ extremorum. Uniens enim vinculum aliquid utriusque extremorum commune esse debet. Substantia autem omnis cum sit vel extensa vel cogitans seu spiritualis finita, saltem alteri extremorum congruit, & semper eadem redit difficultas. Consistit ergò in aliquo substantiarum unitarum attributo seu modo & habitudine. Non autem id est aliquid absolutum, sed involvere debet respectum partis unius ad alteram. Communionem infert unio.

nio. Illa non potest esse sine relatione, ergò neq; hæc. Ipsa ergò unio est aliquid relativi. Fundamentum hujus relationis neque est in quantitate, neque qualitate, sed in actione & passione. Ratione terminorum verò relatio illa est mutua & reciproca, cum fundamentum relationis & unionis utriusque extremorum insit. Definimus ergò unionem hanc, *mutuum & immediatum commercium actionum & passionum inter animam & corpus, licet non omnium, tamen plerarumq; & semper aliquarum.*

IV. Non otiosa est coherentia & præsentia corporis & animæ, sed negotiosus actionum & passionum concursus. Ideoque proximum fundamentum desumpsimus ex prædicamento actionis & passionis; cui innititur mutua illa relatio animæ & corporis. Hinc coincidit cum unione hæc ipsa communio. Actuosa sit unio mentis & corporis. Vivens animal homo est. Vita in actu & operatione consistit. Vita ergò hominis compositi ex mutuis & mixtis utriusque partis actionibus & passionibus coalescet. Actiones illa non possunt esse immanentes, sed transeuntes. Illæ enim extra subjectum suum nihil operantur. Per has verò anima & corpus communicant. Ipsum velle, ut actus animæ immanens, non facit illam, de quâ loquimur, conjunctionem; sed velle ut pedes corporis moveantur, ita ut motus pedum, tanquam actus imperatus inde sequatur, id demum est, quod animam corpori nectit. Similiter ipsum movere in corpore per se consideratum, corpus animæ non jungit; nisi etiam spiritum assistentem corpori unitum nuncupare velis: At si ita moveatur aliquod organum, ut motus hic novam in animo perceptionem necessario excitet, eumque afficiat, id unionem corporis cum animâ constituit. Quapropter in eo consistit conjunctio illa, quod corpus movetur ad nutum animæ, & anima aliquid percipit quasi monente corpore. Immediatam denique dixi hanc communionem, subsume immediatione suppositi & virtutis. Illam probavimus §. 3. hujus capituli. Hæc nunc vindicanda venit. Non nisi proprii motus corporis nostri sentiuntur & percipiuntur ab anima. Objecta extrinseca vel circumstantia mediante corpore afficiunt animam. Sic etiam anima ex parte sui non nisi propriis suis voluntatibus utitur ad incitandum & movendum corpus. Et qui dicunt, animam nostram in corpore humano agere vel pati intermediantibus spiritibus animalibus,

bus, vel aliâ cerebri parte, nobis non contradicunt, sed saltem ordinem recipientis subjecti indicant.

V. Haecenus de qualitatibus illarum actionum & passionum in genere. Inquirendum nunc etiam est in modum illarum actionum, qui multorum defatigavit animos. Etenim animam agere in corpus, superius in inferius, facile negaverit nemo: Corpus autem vicissim agere in animam, inferius in superius, id paradoxon videtur. Hic ergo Rhodus, hic saltandum. Facile sese hic expediret Democritus, qui animam rarissimum ex atomis aërem, asseruit; aut Manichæi veteres, cœlestis lucis particulam vocantes, uti etiam hoc seculo Robertus Fluddus. Ast dudum debellata sunt hæc opinionum monstra. Concessarum & demonstratarum veritatum quoad esse, inquiremus evidentiam causalem quoad modum. Omnis autem difficultatis origo mihi videtur nimis coarctata actionis ratio, per contactum physicum, seu quantitatem. Hujusmodi actionem anima à corpore recipere nequit. Terminari debet contactus quantitativus; ast immateriale terminare nequit: Cedit enim quasi terminando contactui. Potest tamen corpus agere in animam ex compacto quodam, varietatem & mutationem quandam in ejus actibus efficiendo. Ita per suffumigationes, incantationes, characterismos, adjurationes, & quæ aliæ cultus Diabolici sunt ceremoniæ, spiritus modò fugari, modò allici, testantur religiosi illorum cultores Theophrastus Paracelsus & Henricus Cornelius Agrippa ab Nettessheim. Ita si corpus sagæ flammis uritur, anima quidem ejus non incenditur; attamen tristem sine dubio & molestam perceptionem cogitationemque; habet ex tali corporis passione profectam. Inferius ergo in superius agere non potest, entitatem se nobiliorem efficiendo, aut materiale in immateriale per contactum suæ naturæ proportionatum, i. e. quantitativum; Potest tamen effectui nobiliori producendo certam atque validam occasionem dare, potest incitamentum esse fortissimum & indeclinabile. Quandoque tam opportuna & inquisitione digna profert etiam rusticus, ut Philosophus iis ad abstrusæ alicujus rei scientiam provehatur, ad quam nisi fuisset sic admonitus, nunquam fortasse pervenisset, licet hæc scientia longè absit à rustico. Memorabile exemplum continet Joh. Barclaji Icon An. c. 12. de adolescentulo quodam, cui otii libertatem amanti ingratae erant literæ. Hic casu fortuito oviam factus

factus duabus virginibus, alteram ex illis intentius mirari, mox inhaerere sermonibus, ad extremum eodem ipso die efficitur amare. Tum primum solutus animus ad curas adactus est. Virgo enim profecta, & pene vivum adolescentulum non relinquens, ipsum ad studia, quamquam in alium finem subornata, adegit. Tandem verò impetus amoris, cui hæc diligentia dabatur, ita sensum laborum mitigavit, ut nec cogitans puer Musarum dulcedine caperetur, & torpescere licet concepto de puella iudicio, hæsit nihilominus acris sciendi cupiditas, ut deinde literæ huic etiam non pauca debuerint. Inter hunc effectum & ejus causam instigantem nulla necessaria consequentia aut proportio.

VI. Cæterum difficile est determinare, ad quodnam genus causarum spectet anima movens corpus, & corpus movens animam. Non enim eâ ratione, quâ motus lapidis projecti sequitur è motu manus; Ita perceptio animi ex motu corporis proficiscitur: Neque eâ ratione, quâ alius actus animi ex alio distincto manat, passiones corporis ex animi actionibus oriuntur: Et quamvis nihil magis naturale sit, quam passionem omnem ex aliquâ actione sequi, non tamen inter functiones animæ & corporis talis dari potest consecutio, qualis inter eas, quæ sunt unius ejusdemque naturæ propriæ. Ne tamen benevolo Lectori molestus sim prolixioribus argutis Metaphysicis, & ad alia progrediendo occasio mihi præcludatur, prolixiorem hujus argumenti diductionem commodiori reservans loco, brevibus mentem meam declarabo.

VII. Id certum est, necessariæ alicujus consequentiæ nexum naturalem, aut causalitatem quandam efficientem physicam respectu hujus communionis ostendi non posse, sed omnem causalitatem tantum esse moralem & procatarteticam respectu effectus, cujus vis in eo consistit, ut (1.) mentis cogitationes, quæ corpus pro objecto habent, huic certum & determinatum motum imprimere possint, qui conveniens sit exsequendo ejus proposito; vice versa (2.) corporis certi motus formam cursus Spirituum animalium determinantes, menti, tanquam causæ principali, occasionem dare possint, has illasve cogitationes eliciendi, quæ conformes sint conditioni aut statui corporis eo tempore, quando movet animam.

IIX. Firmitas autem hujus fœderis ex solâ dependet liberâ voluntate-

luntate Dei; Duratio autem ejusdem ex conservatione Dei per certas conditiones determinata à Deo ipso, qui leges Naturæ præscriptas tuetur. Ipsi soli possibilis est ejusmodi mentis cum corpore copulatio, quâ mens quidem agat in corpus, corpus autem vicissim in mentem agere nequeat, sicuti id variæ apparitiones spirituum satis confirmant, de quibus conferri potest P. Thyraus Tr. de apparitionibus omnis generis spirituum. Potest ex adverso mens quæpiam ad aliquod corpus sic alligari, ut corpus, Deo ita ordinante, tantummodo agat in ipsam, varias ei perceptiones inferendo, mens autem in corpus agere nullo modo possit. Eadem ergo potentia Divina & causa est nostræ communionis.

IX. Et sane ex pacto quodam, discrepantes quoad naturam effectus prodire posse, ostendunt artificiales picturæ, varias res gestas repræsentantes, clades, victorias, maria, urbes, regiones, cum tamen si figuras solas attendas, nulla convenientia intercedat inter res objectas & cognitionem inde desumptam; quæ tamen primariò institutis & pactis humanis adscribenda veniunt. Similiter dictantis & scribentis conjunctio se habet, quandoquidem scriba ad cuncta verba dictantis, hæc & non alia promptè & constanter calamo excipit. Ita revera mens est dictatrix respectu corporis imperata facientis; Corporis verò motus sese habent instar literarum pictarum, quæ mentem ad varias perceptiones sollicitant. Igitur inter admiranda unionis hujus hoc referendum est, quod licet in actibus omninò disparibus & mutuâ naturæ consequentiâ à se invicem haud quaquam dependentibus conjunctio illa consistat, satis tamen arcta esse non desinat propter immutabile voluntatis Divinæ decretum, quanquam conditionatum. Ad sacram hanc anchoram nos semper confugere oportet, quoties ad primos naturæ motus perventum est, qui nihil aliud sunt, quam certæ leges in gubernatione mundi à Deo T. O. M. institutæ. Ejusmodi leges hinc inde consignatas invenies apud Thomam Bonartem Northanum, Thomam Hobbesium, Henricum Morum, Honoratum Fabri, P. Gassendum, Renatum Cartium, Gottofr. Leibnizium, Rob. Boyleum, Thomam Cornelium Consentinum, Jacobum Rohaultium, Kenelmum Dygbeum, Franciscum Glissonium, Joh. Wallisium, Christianum Hugenum, Christoph. Wrennum, aliosque.

X. Re-

X. Restant adhuc explicanda ultima definitionis verba exprimentia quantitatem, seu numerum, varietatem & multitudinem actionum & passionum. Dantur quaedam actiones & motus immanentes à parte corporis & animæ, per quas nulla sit communio, prout seq. capite ostendemus. Interim plurium, quamvis inter se differentium, & quidem præcipuarum actionum concursus facit ad stabilendam compositi nostri unitatem. Tanto major habetur unitas rerum corporearum, quantò pluribus & potioribus partibus se contingunt; Et animorum eò major est concordia, quo major in pluribus & arduis negotiis tractandis consensus. Ex illis pluribus verò licet non omnes simul exercentur, id tamen vestigium quoddam perfectionis Divinæ esse videtur, quod sicuti Deus circa omnia simul versatur, ita plura simul corporis organa tum agendo in animam, tum ab eâ patiando exercentur. Musicum considera, qui præterquam, quòd cantui universo mensuram det, simul primam vocem articulatè canit, & pulsatas variè chordas in harmoniam cogit. Hic motus oculorum, aurium, oris, manuum & pedum diversi, cum pluribus ac distinctis Animæ perceptionibus ac voluntatibus eodem tempore copulantur. Julii Cæsaris celebratur ingenium, qui pluribus simul dictare atque ipse interim scribere valuit. Quamquam non diffitear, hocce perfectionis lumen umbrâ quadam imperfectionis limitari & obscurari; quo plures enim magisque heterogeneæ corporis animi functiones in homine eodem tempore junguntur, eò remissiores ac debiliores minusque accuratæ solent esse singulæ: Ast virtus unita fortior. Hinc illud: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Et Aristoteles inquit: *Cum re quâpiam vehementer capimur, nihil ferè aliud agere possumus: At cum eâ parum delectamur, alia ferè agere solemus.*

XI. Cum verò tam multi sint & varii corporis animique actus, qui nullam inter se convenientiam aut consecutionem naturalem habentes, in homine concurrunt, id tamen cuilibet illos consideranti observare licet, quod occasione certorum, qui in corpore nostro naturâ præcedunt, motuum, non indifferenter quælibet, sed certæ duntaxat in animâ perceptiones existant; Quodque vice versâ ob certum aliquod voluntatis nostræ imperium antecedens, non quilibet promiscuè motus, sed determinati solùm ac definiti quidam in corpore

C

orian-

orientur. E. gr. cum digitum igni propius admoves, motus inde in nervis excitatus, non quidvis, sed calorem duntaxat ac dolorem, & quidem talem ac tantum animo percipiendum præbet. Quæ animæ passio vel perceptio hæc ratione necessaria est, non libera. Cum enim anima aliquid patitur à corpore, non potest non eundem habere sensum, quoties à corpore eodem modo afficitur. Vice versâ ad voluntatis jussum non quilibet in corpore motus, neque in quâlibet parte sine discrimine sequitur; At ille solum, quo, in dato exemplo, manus ab igne removetur, vel clamor aut fletus excitatur. Hæc animæ seu voluntatis actio imperantis quidem intuitu libera est, quo fit, ut membris dissimilibus interdum similes demandet operationes; ast corporis respectu necessaria est, cum benè dispositum, nec aliunde impeditum corpus ejus imperio non possit non parere. Dico, benè dispositum, nec aliunde impeditum: Etenim si corpus debitam obtineat dispositionem & temperamentum, nullam irregularitatem aut fraudem communioni inferre potest, quæ non devolveretur in veracissimam causam; nempe DEUM, quod absurdum. Illa tamen communitio ab accidentalibus corporis modificationibus, diversis puta figuris & motibus materiæ, quales oriuntur ex temperamento, conformatione partium, humoribus & sanguine, diversas recipere potest modificationes & perceptiones. Et hæc una est inter origines diversitatis morum & inclinationum humanarum, præsertim si tempore generationis, lactationis & primæ infantie contingat. Hic enim primum in quocunque genere est norma reliquorum.

XII. Ita per naturam animæ & corporis motus definiti, non raro à libero hominum arbitrio ad effectus & usus alios adhibentur, alligando ipsis ideam aliquam, quæ ad eos naturaliter non pertinet. Natura verbis ore prolatis & aure receptis nihil aliud conjungit, quam perceptionem soni, qui verborum materiale vocari poterat: Ast verò ex instituto arbitrario vocibus istis certam adjungimus significationem seu formam, unde in animo nova oritur perceptio; ut adeo omnem operam frustra collocaverit Plato in demonstrandâ naturali vocum significatione. Accidentaliter tamen hæc conjunctio & arbitraria per actus intensos & reiteratos transit in alteram quasi naturam, adeo ut fundamentales naturæ motus sæpius non attendamus, sed unicè ad hos arbitrarios. Adulti & lingvæ fatis periti de
sono

sono literarum ad unumquodque vocabulum pertinentium vix amplius cogitamus, soli vocum significationi intenti.

XIII. Cum nunc anima humana in statu conjunctionis relative considerata multo pluribus abundet actionibus & passionibus, etiam definitio ejusdem amplianda & naturæ accommodanda est. Definiunt enim Philosophi naturas rerum in ordine ad operationes. Ubi ergo distinctæ operationes, ibi distincta natura & definitio. Competunt verò animæ ratione subsistentiæ suæ ultimatae cum corpore aliae passionibus & actiones, quàm ratione essentiaë aut existentiaë absolutæ. Famem & sitim percipit in statu unionis, quàm tamen ex se percipere nequit. Corpus suum movet per modum principii intrinseci ad ambulandum, loquendum &c. quas tamen actiones animæ nostræ nemo attribuet ratione essentiaë & propriae subsistentiæ, non ultimatae. Aliàs enim semper ambularet, loqueretur &c. Sicuti ergo suppositalitas denotat naturæ superadditum modum, de quo Svarez, Fonseca, Oviedo, Arriaga, Scheiblerus, Calovius; ita cum hoc superaddito modo, etiam alia ratione unionis cum distincto ente superaddita passionibus & actiones, aliam modificationem naturæ arguunt in animâ nostrâ, ratione cujus definimus animam, substantiam finitam cogitantem, quæ unita corpori humano ad modum naturæ suæ convenientem, potest agere & sentire cum corpore & principium est omnium actionum, quibus homo distinguitur à reliquis creaturis.

XIV. Pari ratione amplianda est definitio corporis humani & in statu unionis considerati. Ita enim est substantia extensa organica, quæ variis subjecta est actionibus animæ, ejusque imperio, & ipsam vicissim variis afficit passionibus, & ad multas sollicitat actiones in & cum se exferendas.

CAPUT III.

Natura Communionis in specie.

I.

Hucusque in genere Communionem actionum & passionum humanarum consideravi. In specie nunc recensendi veniunt di-

distincti illi actus & motus, quorum respectu anima & corpus unita haberi vel non haberi merentur. Dicam ergò (1.) quoniam sint distincti illi actus & motus, & (2.) quales, quomodo & cur sint.

II. Ad prioris quæstionis resolutionem facit, quòd Aristoteles definiat formam uniuscujusque rei esse id, quod facit ut materia sit hoc tale, unde canon ille: *forma dat esse rei*: Vid. Stahl. part. 2. Reg Disp. 9. Et forma hæc secundum Calovium, est, per quam res naturales sunt id, quod sunt, seu quæ dat esse ultimum, proprium & specificum rebus naturalibus, non efficienter & substantialiter, sed formaliter, i. e. materiam actuando, compositum in certâ specie constituendo & operationes específicas edendo. Constituit compositum seu speciem non per actiones genericas & communes, sed específicas & proprias.

III. Consequenter (1.) Quodcunque esse & operari partes componentes habent per propriam naturam & extra compositionem, id non habent à respectivâ naturâ compositionis, neque composito, quâ tali, reduplicativè scilicet, est attribuendum. (2.) Quæcunque actiones seu passionis aliquod Ens non constituunt in certâ specie, ut sit hoc tale, sed conveniunt pluribus specie vel genere differentibus, illæ non proveniunt à principio informante, quatenus tali, sed quatenus reduplicativè seu causaliter sumto. E. gr. forma auri est id, quod facit aurum esse aurum, non est id, quod simpliciter facit esse metallum, quia id esse potest, quamvis non sit aurum; aliàs forma auri necessariò requireretur ad constitutionem omnis metalli. Verum est id, quod aurum differre facit à reliquis omnibus metallis, principium nimirum omnium proprietatum, quæ auro, quatenus tali, sunt peculiare. Sic etiam forma bestiarum, plantarumque non propriè est formale principium earum functionum, quæ ambæ inter se cognatas habent, sed tantum fons & origo diversitatum, quæ inter eas observantur. Atque ita etiam secundum doctrinam veram Aristotelis, ut mens hominis sit principium formale ejus, non necesse est, ut quatenus talis, reduplicativè scilicet, sit principium omnium attributorum, actionum & passionum, vegetativarum nempe & animalium illarum, quæ purè in genere causæ efficientis dependent à corpore & materia, & etiam brutis atque plantis communes sunt; sufficit si modo sit causa proxima ejus, in quo homo differt ab omnibus animalibus & corporibus.

bus & ab omni eo, quod non est homo. Præterea assumo hęc conclusionem ex §. 12. c. 1. Quorumcunqve nobis, conscii non sumus, illi actus non dependent ab animâ, tanquam causâ efficiente proximâ. Qui verò cogitationem quandam in se continent, illorum principium rectè dixeris animam, & ratione hujus operationis dicitur forma hominis.

IV. Conclusio autem hæc ne nimis videatur à vero aliena, attende saltem ad varios illos motus, qui observari solent, capite à reliquo corpore humano subito abscisso, aut etiam corpore humano in duas partes circa septum transversum violento acuti acinacis ictu diviso, quod aliquoties à Turcis crudeliter factitatum esse, referunt Auctores. Hinc enim percipiuntur cordis palpitatio, arteriarum pulsus, brachiorum crurumqve commotiones, manuum contractiones & extensiones, imò quandoqve incessus. Illinc verò detruncatum caput os aperit clauditqve, linguam exferit, oculos quaqva versum convertit, palpebras movet. Tam multæ verò & contrariæ actiones ab animâ seu voluntate antea non potuerunt esse determinatæ: adeoque illas absente anima non nisi à principio corporeo, spiritibus nimirum per nervos in musculos delatis exerceri, & à corporis harmonicâ dispositione determinari, probabile est. Indivisibilem enim animam utramqve partem divisam informare repugnat.

V. Spiritus autem illos animales ordine tam concinno, quem omnes etiam in bestiis admiramur, in nervos musculosqve derivari, ad motus tam diversos ordinatè ciendos non adeo admirandum est, propter motus similes, qui in rebus inanimatis observantur. Minuit sanè admirationem volucris Architæ Tarentini columba, quæ libramentis affabrè factis suspensa, & aurâ spiritûs inclusâ atqve occultâ concita volavit. Vid. Gell. N. A. l. 10. c. 12. Ut & Joh. Regiomontani aquila lignea, quæ in aëra sese recipiens Imperatori Norimbergam tendenti viam monstravit. Nec non ferrea statua, quæ per varios anfractus ad Regem Marocco accessit, flexisqve genibus oblato libello supplici libertatem artificis conciliavit, & eadem viâ reversa est, referente Nicol. à Wassenaer Hist. Tom. V. ad Ann. 1623.

VI. Qvis igitur dubitet, quin Omnipotens bestiam veluti opus istiusmodi mechanicum creare possit, quod homo penè efficere queat. Imò ponam, DEUM ejusmodi machinam cani similem effecisse,

quæ imitetur perfectissimè omnes actiones & passiones veri canis, cum eâ saltem differentiâ, quòd non essent sociatæ cum aliquâ cognitione, appetitu aut proposito, cujus participem esse bestiam credunt Conimbricenses ad Arist. l. 3. de An. c. 3. Aut quæ non proveniunt à distinctâ formâ, sed tantùm productæ & conservatæ sunt in illâ machinâ per motum objectorum circumstantium, per dispositiones acquisite aut naturales cerebri & partium reliquarum corporis sui, & per spirituum suorum cursum. Supponam etiam D E U M hanc machinam posuisse inter plurimos canes; jam quæro, quomodo & ex quibus signis hanc machinam, cujus omnes actiones & motus fiunt per solum objectorum impulsum, & continuantur ad modum horologii per solam dispositionem organorum, distingvere velint à vero cane, in quo eosdem motus fieri putant cum cognitione, appetitu aut proposito formæ informantis? Quod si hanc internoscere non potes, simul fatearis necesse est, nullo jure bestiis & canibus reliquis adscribi posse quandam cognitionem aut actionem alterius distincti principii, quia æquè sicuti in nostrâ suppositâ machinâ nullum illius signum observare datur. Quod si autem aliquid suppeditandum sit, quòd alicujus cognoscentis & distincti in cane principii signum sit, id aliud esse nequit, quàm ex arbitrio & proprio canis instituto profectum, quod nullam habeat necessariam connexionem cum actibus suis, quibus sociatur. Tale puto loquelam, & significationes cognitionis sua arbitrarias. Verùm quid sentiendum sit de bestiarum loquelâ à Porphyrio l. 3. de non edendâ carne, ipsis asserta, judiciû esse penes Lectorem &c. Conferri poterit eam in rem Fabritius ab Aqua pendente libro singulari de brutorum loquela, & Ant. Deusingius in Exercit. sel. de brutorum ratione. Dixit quidam Philosophiæ Professor Batavus: *Bestiarum voces non magis arguunt conscientem animam, quàm strepitus rotae circa axem siccum actæ ejus situm, aut campanæ stridor ejus vulnus, aut corii in ignem conjecti palpitatio ejus dolorem.*

VII. Sed omnes nunc actiones animales in hominis vel bruti corpore, per motum declarare mechanicum, intentionem meam excederet. Tentarunt id non sine multorum applausu Illustrissimæ in Anglia Societatis Regalis Collegæ, prout ex Actis Philosophicis constat; & non ita pridem Thomas Willis in Tr. de Animâ brutorum. Præter hos etiam alii, nempe Fr. de la Boy Sylvius in Disp. Physiologicis,

gicis, Benjamin à Brœckhuysen, Hogelande & Charleton in Oeco-
nomia Animali, ut & Nobilis Dominus, Renatus des Cartes in libro
de Homine, Steno de motu musculorum. Sufficiat pro instituto no-
stro actiones illas & passiones Animæ & Corporis reciprocas paulo
penitius examinasse. Tales dico actiones & passiones sensuum, I-
maginationis, Memoria, plurimas intellectus & voluntatis nostræ, &
nonnullos corporis nostri motus.

IIIX. Omnes autem nostræ cogitationes, quæ certis respondent
corporis motibus, commodè ratione actionis & passionis referri pos-
sunt ad duo genera, quorum unum repræsentat mentis passiones seu
perceptiones & apprehensiones, & venit sub notione intellectus;
Intelligere enim, secundum Aristotelem, est pati: Alterum verò e-
jusdem actiones, quas juxta duplices animæ potentias indigitare pos-
sumus notione voluntatis. Aliàs quidem etiam quædam actiones
mentis, puta judicium & ratiocinatio, revocantur ad intellectum; ve-
rùm facile impetrare poterò, ut certæ distinctionis gratiâ inter passi-
ones seu apprehensiones mentis humanæ, ejusque actiones, illas tan-
tùm nomine Intellectus, has verò nomine voluntatis insignire lice-
at. Cæterum circa nomina parùm curiosus, siue actiones quasdam,
siue non sub intellectu comprehendas, litem non movebo, modò il-
las distingvere noveris à passionibus ejusdem. Id enim mirum quan-
tum inservit ad distinctè percipiendam unionem Mentis cum corpo-
re.

IX. Inter potentias seu facultates animæ recensetur communi-
ter vis sentiendi, juxta quam à rebus extrinsecis, aut etiam intrinse-
cis, ut in fame vel dolore, productam speciem recipit. Ita enim fu-
mus naturâ comparati, ut occasione quorundam motuum, qui in cor-
pore nostro fiunt, & ad cerebrum deferuntur ope nervorum & spiri-
tuum animalium, quædam in mente ideæ & certæ perceptionum for-
mæ nobis repræsententur, quæ variant pro vario spirituum animalium
excitantium motu. Conf. c. 2 §. 7.

X. Ut igitur claram & distinctam sensuum generaliter specta-
torum cognitionem habeamus, tres in illis considerandi sunt gradus:
Primus est, cum organum corporeum à peregrinis corporibus affici-
tur, quæ certo motu pulsant capillamenta nervorum, funiculi instar
ad interiorem cerebri partem & commune spirituum animalium re-
cepta-

ceptaculum extensorum : Inde vulgatum illud : *Objecta movent sensus* : Et Arist. l.2. de An. c.5. omnem sensum in motione consistere docet : *Fit, inquit, sensus cum movetur atq; patitur aliquid.* Similia legas in Platonis Timæo : Omnino, inquit, vocem ponamus pulsationem quendam ab aëre, per aures cerebrumque & sanguinem usque ad animam penetrantem. Solus hic motus corporeus sæpius vocatur sensus. Ita dum quæritur, num sensus visionis fiat emissionem vel receptionem, respicitur saltem motus & habitudo organi corporei ; ut & quando rem aliquam duabus auribus aut oculis percepisse dicimur. Hujus etiam respectu visio distinguitur in directam, refractam & reflexam.

XI. Sensuum gradus secundus magis apparet perfectior. Hunc dico mentis perceptionem, attentionem & apprehensionem motus in determinatâ cerebri parte facti, ad quam omnes externorum sensuum motus tandem deveniunt, quæ perceptio ipsam obligat ratione fœderis cum corpore initi. Inter perceptionem enim illam & motum spirituum animalium nulla est similitudo naturæ & proportio physica, sed saltem moralis proveniens à constitutione sapientissimi creatoris.

XII. Fit autem perceptio hæc non in organis sensuum exteriorum, sed tantum quatenus in cerebro est. Confirmant id rationibus & mille experimentis Physiologi. Audiatur Aristoteles probl. 33. Sect. II. *Sensus, inquit, ubi sejunctus est ab intelligentia, laborem velut insensibilem habet ; Unde dictum, Mens audit, Mens videt.* Quod si enim oculus vel auris perciperet, tum duplex esset cujusque rei eodem tempore visio & perceptio. Ac proinde rectè iterum Arist. de sensu & sensibili, cap.2. *Neq; enim Anima vel animæ facultas visiva est in oculo extremo, sed, ut patet interius est.* Præterea paralyfes, apoplexiæ, fornicationes, profundæ meditationes & Ecstases naturales manifestè ostendunt, non satis esse ad producendam aliquam cogitationem aut sensationem in animâ, si partes corporis nostri extrinsecæ moveantur, nisi impressio illa usque ad cerebrum deferatur. Quemadmodum etiam Anima nullum motum in corpore producere valet, nisi spiritus animales ex cerebro in musculos descendere faciat.

XIII. Hinc evenit (i.) ut mente rebus aliis vehementer intentâ, sæpè apertis oculis nihil videamus, neque patulis licet auribus, vocem

vocem loquentis percipiamus, imò nec corporis dolores sentiamus, prout experimur, in cruciatu dentium, cephalalgia, calculi, podagra & similibus, multo leviores reddi doloris sensum, si possis animum in alienam quandam cogitationem intendere, quo magis verò attendis ad dolores, eò fiunt intensiores. Vid. Mart. Schockius Tr. de Ecstasi.

XIV. Hinc evenit (2.) ut dolor sentiatur in aliquâ corporis parte, quæ tamen ablata est, uti historiae demonstrant. Extremitates enim funiculi nervosi eodem modo moveri possunt, quo moverentur à parte conjunctâ, licet per medium trahantur. Et hinc anima dolorem tamdiu parti ablatae tribuit, donec per alios sensus corrigatur hoc iudicium.

XV. Dico jam, motuum perceptionem propriè dicendum esse sensum, si per hunc intelligas potentiam animæ receptivam. Hæc ratione spectatus sensus est modus aliquis cogitandi mentis nostræ, qui realiter distinguitur à motu organi corporei, tanquam modo corporis. Juxta primum gradum sensus sanè Anima non meretur forma dici corporis nostri; Ille enim ipsi invitæ accidit & insciæ, neque dependet ab eâ, sed ab objectis externis pulsantibus aut tangentibus; neque anima semper afficitur per eum, & etiam omnibus brutis est communis. Conferatur hujus cap. §.3. Contrà, cum per secundum gradum afficiatur & patiatur, iste sensus arguit unionem, & Anima nostra secundum gradum illum forma dicitur convenientissimè. Consentit nobiscum etiam Marsilius Ficinus Argum. in Theætetum.

XVI. In duobus verò hisce gradibus nulla falsitas esse potest, quia necessitate naturæ sese invicem consequuntur, à D E O ita institutæ. Et hæcenus verum est illud: Sensus non possunt errare. Tam enim organorum corporeorum motus, quam eorundem perceptio causam habet naturam, post factam à D E O determinationem, necessariam. Concurrent autem ad hæc perceptiones mentis operationes secundæ, seu iudicia, quæ occasione illarum perceptionum & motuum organicorum formantur, ita ut vix unquam tempore differre videantur. Et hinc omnis error circa res sensatas proficiscitur, modò corrupti corporis, modò ipsius voluntatis corruptæ culpâ. Ictero laborantes omnia amara se gustare putant. Ita asserit vulgus,

D

solem

solem forsan bipedalem esse, quia ob maximam distantiam imago solis in fundo oculi depicta, ejusdem videtur magnitudinis esse, cum imagine, quod objectum imprimit bipedale, si eo tantum intervallo distaret, quod ordinario vivendi modo proportionatur. Tribuit ergo eandem magnitudinem vulgus objecto remoto & propinquo. Sensuum ergo iudicio standum esse affirmamus, sed addo: cavendum esse, ne plus rebus aut minus tribuamus, quam sensuum beneficio de iis hausimus. Exemplum autem erroris à malitiâ voluntatis procedentis est, quando irâ, odio, aut amore impulsus, de rebus tale iudicium ferimus, quod fovendis & roborandis illis passionibus appositum est, quamvis tenuissimis probabilitatibus hoc iudicium innitatur. Sic iis facile fidem habemus, quæ inimicis malæ famæ notam inurunt: Ex opposito, amicorum & quos benevolentia prosequimur, vitia plus nimio extenuare solemus. Ita præjudicata opinio, amor sententiæ susceptæ, pudor erroris &c. causa sunt, quod multi in noxiis erroribus versentur. Eiusmodi præjudiciis tandem ita assuescimus ferendis, ut ad ea eradicanda difficiles nos sentiamus. Emendanda autem sunt per illam Logicæ partem, quæ circa rectificandam mentis operationem secundam occupatur. Secundi igitur & tertii gradus sensualis tantum homines capaces sunt, quorum prior ad unionem saltem spectat, qui quasi attingit alterum extremum unitum & ab eo recipit aliquid. Et tantum de unione animæ cum corpore respectu sensus, cuius causas extra nos ponimus.

XIIX. Aliter etiam sensus nostri causas referimus ad corpus nostrum, quando nempe sitimus, esurimus, dolorem vel calorem in membris nostris sentimus. Idem tamen gradus distincti, qui in priori sensu, etiam in hisce occurrunt. Singuli ad sensum tactus commodè referri queunt, qui in omnibus nervosis, fibrosis & membranosis partibus reperitur. Objecta illorum sunt corporum modificationes juxta motum, texturam & magnitudinem sufficientem. Non enim quælibet objecta tactum afficiunt, sed requiritur affectio notabilis. Nervi enim, qui hujus sensus sunt organa, alicujus sunt magnitudinis. A corpusculis magis exiguis agitari non possunt, juxta legem illam motus universalem: *Majus extensum in quiete positum plus virtutis habet ad resistendum minori.* Hinc fit, ut perenne illud corpusculorum halitusque profluvium non sentiamus, & licet exigua illa
corpu-

corpuscula tactus nostri organa tangant, ob suam tamen tenuitatem parum illa agitant, & nullam nervis tactoriis impressionem faciunt; idcirco pro nullis à nobis habentur. Evolvantur Rob. Boylii Exerc. de Atmosphæris corporum consistentium, deqve mirâ subtilitate & determinatâ naturâ & insigni vi effluviarum; ut & Illustrissimi Comitis, Kenelmi Dygbi Eröffnung unterschiedlicher Heimlichkeiten der Natur / Discurs-weise gehalten in einer hochansehlichen Versammlung zu Montpelier in Frankreich.

XIX. Omnes autem illæ diversitates & species tactus oriuntur à diversitate objectorum, quæ nervos vellicant, trahunt & commovent. Ita in sensu famis, ubi ventriculus vacuus est cibus alimonix aptis, tunc ingesta saliva, calor sanguinis, & liquor ex ramis arteriarum ventriculi internam superficiem perreptantibus, (quorum officium aliàs est cibos contentos concoquere) si desit materia, in quam actionem exferere queat, agitant & vellicant nervos in fundo ventriculi, qui motus ad cerebrum usque delatus, in animâ commovet perceptionem, statui corporis convenientem & appetitum ciborum.

XX. Præter hosce verò sensus externos recensentur etiam vulgò tres sensus interni, sensus communis, imaginatio & memoria. Inquiramus ergò, quænam actiones hic propriè vindicandæ sint corpori vel animæ, & quomodo per hosce sensus inter se invicem communicent atque uniantur. Repetenda hîc sunt, quæ suprâ dixi de sensuum gradibus, quorum primum in exteriori organo, secundum in interiore cerebro, ibidemque facti motus apprehensione constitui. Quatenus igitur in cerebro, ut nervorum primâ origine, & speciatim in ejus medulla, atque communi omnium impressionum centro, perficitur atque absolvitur sensus, vocatur sensus communis. An verò commune illud receptaculum sit glandula pinealis, Conarion dicta, multi adhuc dubitant, quænam Cartesius id demonstrare alaboraverit; Dygbeus septum lucidum substituit. Quicquid sit, motus illi ab externorum sensuum impressione provenientes & sæpius recurrentes, non possunt non in molli & flexili cerebri substantiâ, ad quam nervorum interventu deferuntur, aliquod sui vestigium relinquere.

XXI. Clariùs dicam: Sunt hæc memoriæ vestigia nihil aliud, quam à spirituum animalium cursu, inter cerebri fibras relictæ pori,

per quas primâ vice transierunt, ut rursus per eosdem meatus exeant, pari ratione, quâ primâ vice egressi sunt, adeo ut hi spiritus poros repertos facilius ingrediantur, quàm alios. Spiritus verò isti egredientes licet vim habeant laxandi parumper intervalla fibrarum, illarumque parvos ramulos diversimodè disponendi, ita ut etiam fibris, quæ in cerebri substantia sunt, imprimant figuras proportionatas impressionibus objectorum; non perfectè tamen primo ictu, verùm paulatim melius accuratiusque, prout spirituum actio vel fortior est, vel diuturnior, vel frequentior, aut fibræ magis sunt flexiles. Quod si fortè viæ illæ claudantur, retinent tamen majorem facilitatem sese aperiendi, quàm vicinæ, quæ nunquam adhuc fuerunt apertæ.

XXI. Imaginatio ergò in hoc consistit, quod mens oculos suos non ad impressionem in externis organis factam, sed ad motus spirituum animalium & fibrarum in cerebro excitatos convertat, quorum motuum occasione certa quædam & consveta in mente idea seu cogitatio oritur. Dicitur etiam phantasia seu conversio mentis ad phantasmata, quæ nihil aliud sunt, quàm determinatæ species seu formæ cursus spirituum animalium, & funguntur vice objecti. Quatenus verò Anima Facultate pollet renovandi fluxum spirituum, ut formam induant, cui idea rei juncta est, cujus reminisci volumus, idque secundâ vice fieri percipit per actum mentis reflexum, dicitur reminiscentiam habere.

XXII. Nunc unicuique potentiæ proprium est vindicandum munus. Primò verò, quodnam sensus communis proprium officium sit, quodnam verò commune cum animâ, ex suprâ dictis facile liquet. Concurfus ille spirituum animalium in communi & determinata cerebri parte, non provenit ab anima, sed ab impulsu externo, ipsâ cerebri dispositione & spirituum agilitate. Interim occasione motus hujus excitatur anima ad aliquid certi percipiendum.

XXIII. Quando verò imaginamur, tunc Mens nostra sese convertit ad corpus seu phantasmata: Hujus vestigia contemplando per mentis reflexionem, reminiscimur. Nihil ergò imaginari possumus, nisi corporeum & singulare, quippe cum subordinata causa minùs principalis & proximè attingens effectum sit corporea. Hanc dico phantasmata illa, formam quandam cogitationis juxta præscriptas leges excitando, non autem adjuvando instrumentaliter & physicè.

Nun-

Nunquam phantasmata illa adeo elevari possunt per virtutem principalis, ut producant aliquam cogitationem physicè. Qualiscunq; enim sit illa depuratio, illustratio, subtilisatio aut extenuatio horum phantasmatum, quam Scholastici intellectui agenti adscribunt, illa tamen nunquam intelligendi capacitatem acquirunt. Et licet subtilissimorum spirituum animalium aut vitalium quintam essentiam concipias, ipsa tamen subtilitas & tenuitas arguet subjectum corporeum, nisi planè transmutationem essentiarum statuere velis, aut rem corpoream posse rei spiritualis esse causam efficientem Physicam. Non igitur capere possum ea, quæ Conimbricenses nugantur in lib. 3. Arist. de de An. cap. 4. *materialia ut sub intellectum cadant, oportere materiam quodam modo exuere, ut intellectui similia evadant.*

XXIV. Admodum tamen placent, quæ Aristoteles habet in cap. 4. l. 3. An. dum inquit: *Quocirca neq; cum corpore mistum esse intellectum, consentaneum est rationi: qualis enim quidam fieret, calidus aut frigidus, & instrumentum aliquod ipsius esset, profecto sicut est sensus, nunc autem ipsius (puta in intelligendo) nullum prorsus est instrumentum: Et paulò post: Sensitivum non est sine corpore. At intellectus ab eodem est separabilis.* Sanè quoties cogitamus de rebus spiritualibus, universalibus & moralibus, non percipio, quomodo hæc sub imaginationem cadant. Quinam enim sunt motus illi corporeorum phantasmatum, qui repræsentant rem spirituales, aut entia moralia, aut axioma hoc: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quomodo à motibus singularibus poterat formari notio universalis? Taceam ideas innatas. Spectant huc, quæ Plato habet in Phædone: *Dicimusne ipsum pulchrum, ipsum bonum aliquid esse? quidni? num aliquando horum aliquot oculis percepisti? nunquam inquit. An alio quodam sensu corporis illa attigisti, &c.* Hinc colliges, dari quendam puram intellectionem, quæ non occupatur circa phantasmata materialia, neque hanc intellectionem ullatenus à corpore dependere, quanquam contingenter ab hoc excitari possit, & ab incursionibus phantasmatum sæpius interpelletur. Non possum, quin hic referam verba Augustini, quæ occurrunt lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 24. ubi ita loquitur: *Ita feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus versat, ut his subtractis, tanquam per inane pereundum sit, reformident.* Itaneccesse est, ut & *Justitiam & Sapientiam pingant quodammodo*

modo in cordibus suis, cum formis & coloribus; quia non possunt incorporeas cogitare. Nec tamen dicunt, quando justitiâ vel sapientiâ moventur, ut vel laudent eas, vel secundum eas aliquid agant, quem colorem, quam staturam, quæ lineamenta vel quales formas conspexerint. Atque ideo ipse Epist. 56. disputat adversus Democritum, qui existimabat, eatenus solum Mentem dici posse intelligentem, quòd omnia per species atque imagines corporum in mentem nostram influerent.

XXVI. Similiter sese res habet cum memoriâ & reminiscentiâ. Vestigia enim motûs spirituum non dependent ab animâ, sed à motu corporis; Et hujusmodi memoria etiam reperitur in brutis: Ast applicatio mentis ad eadem contemplanda, hoc demum est, quod animam jungit cum corpore. Reminiscentia verò superaddit actum mentis reflexum, cujus principium sola est anima, non corpus; Ergò eatenus non pertinet ad unionem, nisi objectivè, quatenus versatur circa phantasmata. Cum autem non omnis cognitio ab his dependeat, omnis tamen cognitionis in animâ possibilis sit reminiscentia, facile colliges, neque omnem quidem reminiscentiæ actum objectivè consideratum ad unionem pertinere.

XXVII. Habet ergò anima nostra facultatem independentem à corpore, quoties res concipit, quæ ad imaginationem non pertinent: Neque etiam opus habet membris corporis nostri ad simpliciter volendum, quando illis non utitur in voluntatibus suis exsequendis. Attamen habet potestatem alligandi cogitationes suas certis quibusdam corporis motibus, quibus modò naturaliter sunt junctæ, modò ex arbitrio. Dolorem unctionis percipiens, manum removet ab igne; illumque certis vocum signis pro arbitrio significat. Et hæc ratione voluntas Animæ jungitur cum corpore. Sola enim dependentia actionum & passionum constituit unionem animæ cum corpore.

XXVIII. Non minorem mutationem adfert unio Corporis cum Mente motibus voluntatis nostræ. Hæc paucis attingam per inductiones. Ubique tamen præsupponi velim articulos fœderis. Factæ autem commotiones in Animâ nostrâ à corpore specialiter dicuntur passionibus Animæ seu affectus. Notamus igitur, si aliquid valdè inusitatum, vel horrendum, vel aliquam similitudinem habens cum rebus, quæ antea noxiæ fuere corpori, animæ nostræ per sensus

lus repræsentetur, id excitare in ipsâ animâ passionem metus & consequenter audaciæ vel pavoris, secundum varium corporis temperamentum, quod non parum ad passiones confert: Quum sit vice dispositionis, & cursum spirituum modò acceleret, modò retardet. Hinc sanguinei procliviores sunt in risum melancholicis, nec sapius se continere valent, quantumvis ad motum illum summas adhibeant vires. Fortis enim imaginatio objecti ludicri spiritus ex cerebro in septum transversum atque cor deducit, ejusque orificia præter solitum referat, ut sanguis majori cum copiâ cor ingrediatur, ex cujus dexterâ cavitate per venam arteriosam defluens subito & iteratis vicibus pulmones inflat; & hinc efficitur, ut aër, quem continent, vi per arteriam asperam erumpere cogatur, ubi vocem sonoram & articulatam format: pulmones autem inflati musculos diaphragmatis, pectoris & gutturis impellunt & consequenter etiam musculos vultus, qui cum iis connectuntur: Quod si verò sanguis venarum tanto cum impetu & copiâ cor ingressus sit, ut illic non satis citò per valvulas aliarum venarum transire valeat, oritur lipothymia, animique deliquium, ita ut per majorem motum sanguinis inclusi vita extinguï possit. Hoc modo mulier illa, cujus meminit Valerius M. ad conspectum filii, quem jamdudum in prælio interfectam credebat, exanimata est. Et in Angliâ non ita pridem cujusdam mercatoris uxor, quæ maritum in Indias orientales profectum & amicorum rumore defunctum planctu profecta fuerat, ubi post tres annos non solum vivere audivit, sed & præ foribus adesse, complexura accurrens cecidit & in limine ad mariti pedes extincta est.

XXIX. Ita Amor est quædam Animi commotio à speciali spirituum motu generata, quæ excitatur ad se voluntate jungendum cum illis, quæ ipsi grata videntur. Hoc gratum si consideretur ab Animâ, ut possibile acquirendum, cupiditatem & nisum quendam in eâ accendit sese uniendi cum illo objecto, qui in eo consistit, quòd per cogitationem intentam spiritus animales accumulentur & inflammantur atque redundantes in reliqua corporis membra ablegentur; præsertim quando cor commotum majorem spirituum vitalium quantitatem ad cerebrum mittit, unde corroboratur voluntatis imago & potentia movendi musculos, qui necessarii sunt, ad id, quod appetitur. Hinc animo aliquid cupiente, totum corpus
agilius

agilius redditur & magis alacre fit ad omnia corporis munia exsequenda, quam aliàs solebat. Per illum impetum delati spiritus mediantibus sextæ conjugationis nervis ad vasa genitalia, commovent spiritus genitales, unde stimuli Veneris & cogitationes lascivæ proveniunt. Delati verò illi spiritus ex cerebro per nervos secundæ conjugationis ad oculos descendunt, hosque ad obliquas & interiorum affectum compositas volutationes incitant, qui fascini illi sunt & occultæ sympathiæ Amantium. Et ita ex cæteris affectibus arctum illud animæ & corporis vinculum facile deduces.

CAPUT IV.

Admirabiles Unionis Effectus, Inclinationes & Aversiones naturales.

I.

PRæcedenti capiti ultimum hoc subjungo appendicis loco, Aversiones atque Inclinationes naturales, ex unione resultantes explicans. Scholastici eos explicant per occultas qualitates Sympathiæ & Antipathiæ, & verbis sesquipedalibus ignorantiam suam obtegere annuntur. Nos aliâ viâ rem tentabimus.

II. Impressiones à corporibus factæ, illarumque in cerebro relicta vestigia rem totam continent. Quod si enim tum id, quod in sensu nostros egit, nobis valdè noxium aut ingratum fuerit, cogitationem ei adjunximus averfantem, aut appetentem, si gratum, ut neutrum horum vi nexus se offerre queat sine altero. Ex illis verò objectis noxiis, quædam sunt absolutè talia, quædam saltem respectivè, contingenter & apparenter: nihilominus hæc eundem cum illis effectum nanciscuntur, quando anima non attendit ad primas aversionum & inclinationum causas. Postquam enim semel ideam noxii eidem motui alligavit, illaque per reiteratos motus magis confirmata est, per quamcunque demum causam illi motus producantur, horum tamen occasione semper ad idem judicium sollicitatur. Differunt

ferunt autem in eo, quod alia aliis firmiores hæreant, vel propter fortio- rem impressionem, vel propter minorem advertentiam, qualis quidem esse solet infantum adhuc in utero constitutorum atque recens natorum, siquidem magna originis relatio datur inter motus matris & foetus, cum propter idem nutrimentum in unum quasi corpus, seu communionem potius affectionum corporearum coalescant, singulaeque particulae foetus ideae decerptae sint particulae parentum, maxime vero matris. Conf. Thomas Fienus de Viribus Imaginationis, & Marcus Marci de Ideis operatricibus. Hæc ratione contigit, ut Jacobus Angliæ Rex ensis aspectum horruerit, quia Regina mater, Maria, cum illum in utero gereret, gladii aspectu perterrita fuit. Hinc ratio reddi potest, quare Faustinas M. Anton. Philosophi uxor, filium enixa sit in omnem ferociam & crudelitatem proclivem. Cum enim gladiatoris cujusdam, hominis crudelis, quem deperibat, sanguine calido hausto, statim cum marito concubisset, Commodum peperit, crudelis ac gladiatorii animi hominem, qui gladiatoris cruentisque pugnis Romanam Romp. ferè attrivit. Neque alia ratio erat Caligulae Imperatoris, scelerum immanitate nulli secundi, cujus morum nil à Patre, nil à matre profectum erat, sed à solâ, quæ ipsum lactaverat, nutrice. Hæc enim præterquam quod ipsa crudelis esset & barbara, sæpissimè oras mammillarum sanguine tingebat, infantemque exsugere permittebat, quo ipso tantam in illo sanguinis sitim excitaverat, ut ætate provector, ne infinita quidem multorum hominum cæde expleri posset, quin de sicâ etiam & gladio sanguinem lamberet, sæpiusque optaret ut una Populo R. cervix esset, quo sic unico ictu detruncari posset.

III. Imaginativa tamen hæc idea ab aliâ potentiori suffocari potest. Non possum non hujus rei notatu dignum afferre exemplum, quod recenset David von der Beeke in Medit. circa rerum naturalia principia: Videbat foemina quædam prægnans primaria Æthiopem inopinatò accedentem, & exhorrescebat tam inexpectatum accessum, ut animi ferè deliquium pateretur. Ex astantibus unum, quod insignem imaginationis vim probè perspectam haberet, prudenter metuebat, ne foetus aliquando e- dendus nigrâ cute vestitus prodiret: autor itaque erat astanti-

bus, ut lavarent foeminam totam, si fortè impressa foetui idea, superveniente aliâ deleri posset. Lavatur foemina, securaqve redditur nullum jam post lotionem nigrorem in foetu observatum iri. Peracto gestationis tempore, foetum enixa est candidum quidem, ast nihilominus aliquot in locis impressi sibi nigroris vestigia ostendentem. Observabantur enim omnia adhuc loca nigredine imbuta, quo diligens lavantis manus non pertigerat: interstitia nempe digitorum, manuum æqvè ac pedum, inguinis, ac præter hæc unus in dorso locus, cæteræ partes omnes omnino libere videbantur.

IV. Sicuti igitur gravidæ mulieres Picâ laborantes, varii generis notas imprimere possunt, ita etiam varii generis affectus, qui adultos sæpius instigant ad rem similitudine quâdam junctam, eodem modo prosequendam. Ex hæc similitudine etiam deduceres; cur ad unum hominem magis quam alium amandum incitemur. Ita Descartes Ep. 36. vol. 1. ad Dn. Chanet de se ipso refert: Cum essem puer, amabam æqvalem mihi puellam, cui erant limuli oculi, hocqve pacto impressio, quæ in eo etiam fiebat ad commovendam in me amoris passionem, ut etiam diu post, quoties in aliquas inciderem, quibus essent similes oculi, me ad illas præ aliis amandas procliviorum deprehenderem, ob hoc scilicet unum, quod hoc vitium præ se ferrent, neqve tamen sciebam hanc mihi amandi causam esse: è contrario, ex quo hoc mecum reputans, agnovi esse vitium, eo amplius commotus non fui. Pari ratiocinio, cum quempiam amamus latente causâ, id inde fieri sciendum, quod ipsi insit aliquid simile, quæ in objecto quodam antea amato fuerunt, quamvis sæpè quid illud sit nesciamus.

V. Excitari etiam potest ejusmodi inclinatio vel averfio absente licet objecto, quando imaginatio aut memoria vicem supplet objecti. Sufficit si vel loqui aliquando audiamus de causa nostræ averfionis, ut ea excitetur. Ita cum aliquando jusculum quidam comedisset, cui propter ipsum nullum allium additum erat, quod valdè averfabatur, & unus convivarum per jocum ipsi postea diceret, allium condimento isti additum fuisse, revomuit, quicquid comederat.

VI. Omnes

VI. Omnes tamen hæ indinationes & averfiones ficut ex
qvadam inconfiderantia oriuntur: ita fi attentâ mente confide-
remus illud objectum non effe noxium, & firmo animi propofito
nofttris inclinationibus nos opponamus, fuffeffu temporis corri-
gi poffunt. Verùm cum maxima hominum pars vel remedia ne-
fciat, vel impetum illum contrarium tanqvam moleftum fubire
detrectet, hinc mirum non eft, fi ejusmodi averfiones naturales
aut inclinationes totum vitæ tempus durent. Id ex infelici illâ
delectatione, qvam ex carnis voluptatibus capimus, originem ha-
bet: cum tamen animam perficere, ejus dominium in omnes, qvi
ab eâ dependent, corporis motus, afferere, atqve legi naturali
fubjicere homini naturali fuffima cura effe debeat
ac ultima.

nam ex jella

SOLI DEO GLORIA.



Orporis ac animæ qvalis fiet *Unio*,
doctè
Differis, & pulchrâ non fine lau-
de doces.

Sic animas cathedram pariter. Deus annu-
at, olim

Ut qvoqve Suggestum fic animare qveas.

*Prestantissimo Dn. Presidi amico suo
per dilecto*

Bonæ scævæ ergò

αὐτοῦ.

f.

**D. Georgius Lehmann /
P. P. & Superint.**

Non



Non contentus eras nuper quòd ferta ca-
pillis

Necteret, Hoffkuntzi, magnus Apollo tuis.
Insuper, ingenium ut prodasqve probesqve
Magistrum

Temet, nunc scandis pulpita docta, do-
cens. (det


Gratulor ex animo, porrò tua cœpta secun-
Adsit & in studiis summus Jova tuis!

*Domino Prasidi, Fantori suo dilectissimo
gratul. approperabat*

Georgius Heinrichus Lehmann.



*D. Georgius Lehmannus
P. P. & Superior
Non*



B.I.G.

Farbkarte #13



AUTORITATE
 Senatus Philosophici
 Lipsiensium Academiâ
 EM ANTHROPOLOGICAM
De
 NE ET COM.
 NE MENTIS ET
 ORIS HUMANI,
 Præses
 TIANUS Hoffkuntz/
 ano-Silesius,
 &
Respondens
 CHRISTIAN Feuereisen/
 Grimâ-Misn.
 ruditorum disquisitioni
 subjiciunt,
 . LXXV. die 13. Martii,
 H. L. Q. C.

I P S I Æ,
 JOHANNIS WITTIGAU.

Ms 142

